



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Thesavrvs Casvum Conscientiæ**

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

**Sayer, Gregory**

**Venetiis, 1627**

ix. De appellationis effectu in hac materia suspensionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13883**



de istam suspensionem, præsertim ex odio, ad assumendam vindictam, sed debere in hoc se prudenter gerere, tandiu hominem suspensum detinere, quamdiu ad eius correctionem expedire iudicauerint; quandoquidem censuræ non sunt Ecclesiæ gladius ad iniurias priuatas ulciscendas, sed solum gladius medicinalis, iuxta ea, quæ habentur in cap. cum medicinalis, de sentent. excommun. lib. 6. & nouissime Synodus Tridentina sess. 25. de reform. cap. 3. admonuit.

18. Quoad Quartum, & quintum suspendendi modos, notandum solum est, suspensiones has tandiu durare, quousque ab habente facultatem relaxentur, nec alio modo tolli posse, quam per solutionem aut relaxationem. Different tamen hæc duæ, quod prior tota manet in latitudine suspensionis; posterior uero (ut supra diximus) non nihil de natura priuationis, seu depositionis participat; unde fit, ut posterior communiter non nisi per Sedem Apostolicam relaxari possit; & per hanc etiam difficile relaxatur, unde etiam consequens est, eam non nisi ex grauissima causa ferri debere, & ob eam tantum, quæ depositionem mereatur.

## De Appellationis effectu in hac materia suspensionis. Cap. IX.

## S V M M A R I V M.

1. Appellatio tam ante, quam post sententiam suspensionis fieri potest.
2. Appellatio ante sententiam suspensionis facta, illam annullat, & inuvalidam facit.
3. Appellationis natura est, ut ubi interposita fuerit, acta postea facta annullent.
4. Appellatio præcedens sententiam quibus in casibus sententiam sequentem non suspendat.
5. Appellatio frustratoria iudicis auctoritate non suspendit.
6. Appellationis remedium ad innocios saluandos a iure introductum est.
7. Appellatio post latam sententiam facta suspensionem ab officio, & ingressu Ecclesiæ non suspendit.
8. Suspensiones, quæ sunt de materia merè spirituali, per sequentem appellationem non suspenduntur.
9. Suspensio à beneficio per sequentem appellationem impeditur.
10. Beneficium non est quid merè spirituale.
11. Suspensio à Pontificalibus, an per sequentem appellationem impedita sit.
12. Suspensio, quoties dubium est an res sit spiritualis, necne, an per sequentem appellationem suspendatur.
13. Suspensio ab ingressu Ecclesiæ, & officijs diuinis, an aliquo casu per sequentem appellationem impeditur.
14. Appellatio sequens censuram, quæ effectum coniunctum habet, suspendere non potest.
15. Sententia semel suspensa, valide interponi potest appellatio, ita ut elapso termino suspensionis nulla sit sententia.

Quoniam de appellatione nonnulla dicta sunt in materia excommunicationis, quæ etiam suspensioni accommodari possunt, ideo breuiter solum quid appellatio in ordine ad suspensionem operari possit, ostendendum erit; & quia appellatio hæc, aut ante sententiam suspensionis, aut post eam interponi potest, de utraque dicemus.

1. Primo igitur appellatio, quæ sententiæ suspensionis præcedit, communiter non tam ipsam suspensionem sequentem suspendit, quam illam annullat prorsus, & inuvalidat, argum. cap. Ad hæc quoniam, de appell. & cap. cum coniugat. de offic. deleg. cap. per tuas, de sentent. excommun.

& cap. solet, tit. eod. lib. 6. & in cap. venerabilibus, eod. tit. & lib. Quibus in locis, licet sermo sit de excommunicatione tantum, idem tamē iudicium est de alijs censuris, arg. cap. Quærenti, de verb. signific. & expresse docent gloss. in cap. licet, in verbo, excommunicationis, de sentent. excommun. lib. 6. Panorm. in cap. Ad hæc quoniam, num. 1. de appella. Tabiena, verbo suspensio, num. 9. vers. 8. Angelica, in verbo suspensio 3. numero 10. Syluest. verbo, suspensio, quaestione 3. Vgolin. Tab. 1. cap. 2. §. 23. numero 9. Eadem enim ratio in his omnibus censuris est, quæ ratio ex intrinseca natura ipsius appellationis desumitur, cuius hæc natura est, ut ubi interposita fuerit, ita manus iudicis liget, a quo appellatur, ut in illa causa progredi non possit, & si progreditur, acta communiter pro infectis habentur, ex eo, quod appellatione huiusmodi iurisdictionis usus impeditur, atque suspenditur, ut dixit Romanus Pontifex in cap. si a Iudice, & ibi notat Gemin. num. 3. & ibidem etiam Franc. & DD. de appell. lib. 6. Dixi communiter, & non dixi semper, quia dantur aliqui casus, in quibus gesta post appellationem valida sunt, & consequenter appellatio præcedens sententiam sequentem non suspendit.

4. Unus est, quando conceditur iudici, vel in iure, vel ex speciali mandato principis, ut in causa progrediatur postposita appellatione, ut in Concil. Trident. sess. 23. de reform. c. 18. vers. Deinde, & sess. 25. de regular. c. 13. & sess. 24. de reform. cap. 10. & alibi sæpè, id quod latius tradunt Felin. in cap. intelleximus, de iudic. num. 18. & in cap. significauerunt, num. 19. de except. & Vgolin. de cens. Eccle. Tab. 2. cap. 16. §. 7. num. 3. Et licet ista Clausula, omni appellatione remota vel Appellatione remota, vel cum negatione audientia, & alia similes non sint semper talis efficaciam, ut omnino prohibeant appellare, neque ut gesta post appellationem semper sint valida, istud tamen saltem operantur, ut sententia post appellationem prolata, non sit omnino ipso iure nulla, sed potius annullanda; unde quousque declaretur, sententiæ & censuræ standum est. Vbi tamen notandum est, quod cum Clausula hæc Appellatione remota ab inferiore ipso Principe addi non possit, argum. eorum, quæ dixit gloss. in cap. fin. in verbo Figura, de hæret. lib. 6. & inquit Salicet. & Imola, relati a Felino in cap. significauerunt, num. 20. de excep. ideo inferiores Romano Pontifice, aut Concilio Generali, ut Episcopi, ratione hæc censuram aliquam ferre non possunt, ut ait Felin. ubi supra; nam nec causas appellatione remota delegare poterunt.

5. Alter casus est, Quando appellatio est prorsus frustratoria & improbabilis, ut per iudicem ad quem fit appellatio, statim repellenda sit, quem casum notat Syluest. verbo suspensio, num. 3. & facit cap. cum appellationibus, de appell. lib. 6. futilis enim appellatio iudicis iurisdictionem non suspendit, ut colligitur ex d. c. cum appellationibus, & idem colligitur ex cap. pastoralis, §. verum, iuncta glo. in verbo casu, & expresse Panorm. ibi, §. verum, num. 14. vers. Quoad primum, de appell. ubi citat ad hoc d. c. cum appellationibus, & c. Non solum, de appell. lib. 6. Idem tradunt Marian. Socin. senior. in ca. Nulli, num. 40. vers. Decimo quero, de sentent. excommun. & Anchar. in cap. solet, num. 3. de sentent. excommun. lib. 6. & Vgol. Tab. 1. cap. 13. §. 18. num. 13. & denique id constat ex cap. 2. de appell. ubi dicitur, Remedium appellationis a iure introductum ad innocios subleuandos, alicui a religionis, & vrbis obseruantia exorbitanti, in sua nequitia patrociniū exhibere non debere. & idem testatur Angelica in verbo, suspensio, 3. nu. 10. ubi etiam citat Ber. & Hostiensem, in ca. pastoralis, de appellat.

7. Secundo, Appellatio interposita post latam sententiam suspensionis, aliqua habet certa, aliqua dubia. Certum autem est, & ab omnibus concessum, huiusmodi appellationem saltem in aliqua materia non suspendere censuram istam, ut patet ex cap. Ad hæc quoniam, de appellat. quo in loco, quamuis sermo proprie sit de interdicto communiter tamen a DD. idem iudicatur de aliquibus suspensionibus, & expressius, & magis in particulari id habetur in cap. is cui, §. fina. de sentent. excommun. lib. 6. ubi in specie determinatur.



terminatur, has duas suspensiones, scilicet, ab officio, & ingressu Ecclesie etiam per appellationem sequentem minime suspendi, & gloss. ibi. in verbo sequentem, & Steph. Costa, num. 13. Si Anton. 3. par. tit. 28. cap. 4. vers. Item nota. Summa Pisanella, in verbo suspensus, vers. utrum suspensio, Angelica, verbo suspensio 2. nu. 1. Sylu. verbo suspensio, quest. 3. Summa Confess. in addition. libri tertij, tit. 29. Alphonsus Viualdus in suo Candelabro titol. de suspensione, numer. 135. Tabiena in verbo suspensio, num. 9. versic. 8.

8 *Notandum* autem est ex glo. in d. cap. is cui. in verbo sequentem, de sentent. excommuni. lib. 6. prater illas duas suspensiones ibi allatas, esse etiam alias suspensiones, quae sunt de materia merè spirituali, quae per sequentem appellationem non suspenduntur, & hoc propter identitatem rationis; unde subdit, ibi glossa, suspensiones, quae suspenduntur a rebus merè temporalibus suspendi per appellationem sequentem; nam si iudex a temporalibus suspenderet, puta ingressu alicuius possessionis, appellado ab eo, suspendo effectum sententiae, argum. l. Non tantum, ff. de appellat. suspensiones autem, quae a rebus merè spiritualibus suspendunt, & quae animam ligant, per sequentem appellationem non suspenduntur. Quod idem docent Innoc. & Panorm. in ca. Ad haec quoniam, num. 1. de appell. & Hostiensis, vt refert glo. vbi supra, & sequitur Tabiena in verbo suspensio, num. 9. versic. Octauo. Ang. verbo suspensio 2. num. 1. Sylueter, verbo suspensio, q. 3. & Alphonsus Viualdus vbi supra.

9 *Dubium* tamen primum est, An suspensio a beneficio per sequentem appellationem suspendatur?

*Prima* opinio est Hostiensis, relata a glo. in d. cap. is cui, in verbo sequentem, de sentent. excommuni. lib. 6. dicentis suspensionem a beneficio hanc duobus modis fieri posse; vno modo suspendendo a beneficio; Alio modo suspendendo a fructibus ipsius beneficii: Si fiat primo modo, non suspenditur per sequentem appellationem, quia beneficii est quid spirituale; Si secundo modo, per appellationem sequentem suspenditur, quia fructus beneficii sunt aliquid temporale & concordant Angelica, verbo suspensio 2. num. 1. Sylu. in verbo suspensio, num. 3. & Tabiena in verbo suspensio, num. 9. versic. Octauo.

*Secunda* opinio est Innoc. & Panorm. in ca. Ad haec quoniam, num. 1. de appell. & Ioan. Andr. in cap. is cui, & glossa ibi, in verb. sequentem, de sentent. excommuni. lib. 6. dicentium suspensionem a beneficio per appellationem sequentem suspendi immo Panorm. addit hanc sententiam semper menti tenendam esse, & mihi placet, quae facile suaderi potest. Primo, quia textus, d. cap. is cui, restringit se ad illas duas tantum & ad summum, locum tantum habet in alijs merè spiritualibus; sed beneficium non est quid merè spirituale, unde, beneficium dicitur spirituale, tantum spiritualibus annexum, Secundo, quia cum odiosum sit & penale sententiam per sequentem appellationem non suspendi, restringi, non ampliari debet, arg. cap. odia, & c. in penis de reg. iur. lib. 6. & cap. pena, de penit. dist. 1. Tertio, Quia suspensio a beneficio ex communi sententia, vt diximus, c. 1. & c. 6. non suspendit titulum ipsius beneficii, qui est spiritualis, sed suspendit a perceptione fructuum, qui sunt merè temporales.

11 *Dubium secundum* est, An suspensio a Pontificalibus, seu ab usu Palij, suspendatur per sequentem appellationem? Panorm. in cap. Ad haec quoniam, num. 1. de appella. putat suspendi, & asserti pro se Hostiensis, in d. cap. Ad haec quoniam, & Innoc. in cap. 1. de sentent. excommunic. lib. 6. & probari potest, quia vt diximus cap. 4. haec suspensio primo & per se, seu directe suspendit ab usu illius apparatus Pontificalis, & consequenter suspendit ab omnibus illis actibus, qui sine huiusmodi apparatu Pontificali fieri non possunt; At verò apparatus iste aliquid temporale esse censetur. Suspensio igitur haec per sequentem appellationem suspenditur quoad hanc temporalitatem; Suspensa autem haec temporalitate consequenter etiam suspenditur suspensio illa consecrativa, nimirum ab actibus ordinis. Mihi videtur valde probabile suspensum a Pontificalibus post appellationem exercendo actus proprios Ponti-

ficus cum omni solemnitate, non effici irregularem, de cuius re latius agemus in sequentibus. Hoc autem Notandum est post factum, vt Episcopum, qui post huiusmodi suspensionem celebrasset non ita facile iudicemus fore irregularem.

12 *Dubium tertium* est, De illis suspensionibus, de quarum materia dubium est; an sit spiritualis vel temporalis; An stante tali dubio appellatio sequens illam suspendere intelligatur, ita vt post illam appellationem celebrare possit. In qua re Innoc. in cap. Ad haec quoniam, de appellat. respondet in dubijs partem tutiorem esse eligendam, id est, quae a celebratione abstinendum. Ceterum haec responsio primo mihi videtur esse consilij tantum, non necessitatis, nam in dubio melior est conditio possidentis. Secundo, prout, vt plurimum ante factum tutius esse vt homo abstinat, post factum autem nunquam iudicarem irregularem, re existente dubia; & quando multum interesset ultio suspensio, si validitas suspensionis; tunc ne abstinendo a celebratione sibi prauidet, putarem absque vilo scrupulo celebrare posse, & aliquando etiam forte debere, maxime si ex eo quod non celebraret, sequeretur graue scandalum.

13 *Dubium quartum* est, An suspensio ab ingressu Ecclesie, & officijs diuinis aliquo casu per appellationem sequentem suspendi possit; Exempli causa, si iudex qui voluit hanc sententiam ipsam ad tempus suspendi; An appellatio interposita, quando sententia manet suspensa per iudicem, ita suspendat ipsam sententiam, vt elapso termino per quem fuerat a iudice suspensa, adhuc suspensa maneat?

*Prima* sententia est, non posse suspendi per appellationem in hoc casu, sic Laur. Vinc. & Tancered. quos refert glo. in cap. Ad haec quoniam, in verbo interdictum, lib. 6. cap. Dilectus, §. Quia, in verbo suspendendum, de appell. & Calderinus relatus a Panorm. in cap. Ad haec quoniam, num. 4. & in cap. dilectus, num. 22. de appellat. & Innocentius in cap. cum inter, de consuetud. quia etiam sententia sequitur Bald. in licum alijs, C. de cura furios. & in l. col. 2. vers. & circa hoc fuit dubium, C. si a non competendo, & Vgolinus de censur. Eccl. Tab. 1. cap. 9. §. 1. nu. 10. & probant primo ex cap. is cuius fine, de sentent. excommuni. lib. 6. vbi absolute dicitur, Suspensionem ab ingressu Ecclesie, & ab officijs diuinis per appellationem sequentem non suspendi. Quod si quis respondeat, Capitulum illud locum habere, quando sententia non est suspensa; Contra. Secundo est, quia illud ca. indifferenter, & simpliciter loquitur, & quamuis censura sit suspensa, quantum ad effectum, quantum tamen ad substantiam manet. Non igitur per appellationem suspendi potest. Tertio, quia iudex suspendens censuram a se latam, non per hoc intendit praetudicare sibi, ergo non suspendit illam in tantum, vt appellatione exinde fieri possit inualida.

*Secunda* opinio est, afferentium appellationem interpositam infra terminum, in quo censura suspensa est, valde esse. Sic glo. in d. ca. Ad haec quoniam, in verbo interdictum, & in cap. Dilectus, in verbo suspendendum, de appellat. quamuis multum intricata, & dubie in hac re procedat, tandem tamen in hac potius sententiam inclinat, citans etiam pro hac quendam Guilhel. Naso, eadem tenet Ioan. de Lignano relatus a Panorm. in d. cap. Ad haec quoniam, num. 5. in questione singulari, quam mouet super hac materia occasione cuiusdam interdicti, quod suspendebatur a iudice, post cuius suspensionem fuit appellatum; quod disputato habetur in eius tractatu de Ecclesiastico interdicto, eandem etiam defendunt Ioan. And. & Card. quos idem Panorm. vbi supra refert, ac sequitur, vbi ait esse communem, & Angelica, in verbo interdictum, §. num. 4. Tabiena, in verbo interdictum, §. 1. Quae sententia satis euidenter colligi videtur ex cap. Dilectus, de appellat. vbi reprehenditur quidam Decanus Alcisiodorensis, qui suspenderat sententiam interdicti a se latam, & parte infra terminum praedictae suspensionis appellante, praedictus Decanus non detulerat appellationem, sed illa non obstante processerat in causa. In toto igitur contextu illius cap. apparet non ob aliam causam praedictum Decanum a Pontifice reprehendi, quam quia appellationem praedictam non detulerat. Supponit ergo, Pontifex appellationem illam fuisse



se validam. Deinde, quia licet appellatio sequens non potest suspendere censuram, quando illa habet effectum coniunctum, quando tamen effectum coniunctum non habet, suspendere potest. Exempli gratia; si aliquis suspensus esset ab ingressu Ecclesiae sub conditione, sine villo dubio antequam adueniat conditio, valide appellare potest, & non alia est ratio, cur hoc possit, nisi quia tunc censura non est coniuncta cum effectu; posteaquam autem conditio aduenit appellare amplius non potest, quia censura habet effectum coniunctum, sed eadem omnino est ratio siue cōsuetudo ab initio non habeat effectum coniunctum, siue ex post facto id est, per suspensionem Iudicis, postquam semel habuit effectum. Ergo sicut illa, quae ab initio non habuit effectum coniunctum suspendi poterat, ita & ista, quae ex post facto effectum non coniunctum seu suspensum habet suspendi potest; & consequenter sicut illa appellatio interrupta valida est, & haec similiter valida erit.

Ex quibus constat, quid ad prioris opinionis rationes respondendum sit. Nam d. cap. is cui, loquitur ubi sententia non est suspensa: Quae responsio non tollitur vi argumenti secundi, quando quidem sicut sententia sub conditione lata, interrupta appellatio sic suspenditur, ut ad hunc conditionem non obliget, argu. cap. praeterea, & ibi d. not. de appell. eo quod conditio nihil ponit in esse; arg. l. si quis sub conditione, ff. si quis omis. cau. test. vnde se habet res ac si adhuc sententia lata non esset, ideoque quasi ante sententiam lata appellatio intercesserit sententia reditur nulla, arg. c. per tuas, de sent. excom. in antiq. & c. Soles, eod. tit. lib. 6. ita etiam, & suspensa semel sententia, valide interponitur appellatio ita ut elapso termino suspensionis nulla reddatur; Nec tamen iudex sibi prauidicat, eo quod eam suspendendo semel, voluntarie iuri suo renuntiare videtur, dando parti libertatem ut intra terminum praefixum appellet, si id ei, quavis ratione expedire videat.

De Interruptione Suspensionis per iudicis auctoritatem. Cap. X.

SUMMARIUM.

- 1 Suspensionis effectus, sicut & excommunicationis, ad tempus suspendi, & interrumpi potest.
- 2 Censuras ferendi potestas, quamuis iuris diuini sit, quod tamen hos, vel illos effectus censura habeant iuris est humani possitui.
- 3 Interdicti quibusdam festis licite diuinis interesse possunt.
- 4 Papa censuram quamcumque ita suspendere potest, ut eam transgrediens irregularitatem non incurrat.
- 5 Excommunicationis effectus non nisi a Papa suspendi potest.
- 6 Iuris communi omnes, excepto Papa, subiecti sunt.
- 7 Interdictum a se latum Episcopus suspendere potest, ut sic celebrari possit sine peccato.
- 8 Interdictum personale, & suspensio quae illi simillima est suspendi possunt.
- 9 Excommunicatus, necnon interdictus ante penitentiam absolui possunt.
- 10 Interdictum, sicut nec peccatum mortale, aliquem extra Ecclesiam non ponit, sed id solum facit excommunicatio.
- 11 Censura Ecclesiastica ad nutum & voluntatem ferentis ligat.
- 12 Suspectio seu interruptio censurae, an censuram ipsam secundum substantiam, an vero secundum effectum tollat.
- 13 Censurae substantia per interruptionem non tollitur, sed solum effectus eius ad tempus suspenditur.
- 14 Censura tunc habet quod per appellationem omnem suspensionem possit, sicut per iudicis auctoritatem potest.

15 Appellatio ex sua natura censuras omnes suspendere possit nisi Ecclesia aliter statuerit.

VT autem res tota manifestior reddatur, dubia quaedam examinanda sunt. Quorum

1. *Primum est*, An censura per Iudicis auctoritatem suspendi, seu ad tempus interrumpi possit: ita ut illa non obstante licite intra illud tempus celebretur? In qua re aliqua certa sunt, aliqua vero incerta.

*Primo* quidem certum est effectus censurae suspendi posse, ut de excommunicatione habetur in ca. Quoniam multos i. quest. 3. & in cap. cum in dubijs, & in cap. cum voluntate & in ca. responsio, de sentent. excommunic. in antiq. & in cap. solet, eod. lib. 6. ubi nobis cum excommunicato versari aliquando permittitur, quamuis excommunicatio vi sua id prohibeat, & de interdicto idem colligitur ex c. Quod in te, de penit. & remiss. & in cap. Non est vobis, de spons. & in cap. per mittimus, de sent. excommunic. in antiq. & in cap. his, de sentent. excommunic. lib. 6. ubi licet tempore interdicti diuina fieri, & ministrari prohibentur ex causa tamen quaedam permittuntur fieri; & ratio est, quia censurae omnes quoad suos modos, & effectus iuris possitui. Quamuis enim potestas ferendi censuras iuris diuini sit, quod tamen aut per excommunicationem quis communicatione Sacramentorum, & hominum priuetur; aut per suspensionem a functionibus Ecclesiae arceatur; aut per interdictum a Diuinis repellatur, iuris positum est; ut de excommunicatione tradit Sorus 4. distinc. 22. quest. 1. artic. 1. versic. Ex his autem. Ius autem posituum ab habente potestatem tolli, aut mutari potest, aut etiam suspendi, ut ex dictis constat, dum cum excommunicatus ex causa versari liceat, aut eam interdictis, & suspensis, (dummodò denunciat non sint) in Sacramentorum, & diuinorum vsu participare concessum sit, argum. Extrat.

*Ad euitanda scandala*, immo etiam si denunciati essent, in necessitate Sacramentum baptismi, & etiam penitentiae ab ipsis sumere non prohibentur, ut communis DD. opinio testatur, & colligitur ex Conc. Trid. sess. 14. c. 7. de casuum referuat.

3. *Secundo* certum est, effectum censurae suspendi posse etiam respectu habito ad eum qui censura irretitus est; est enim excommunicato permittitur, ut se teneatur, si oppugnetur, capit. cum inter, & cap. sine, de except. in antiq. & in cap. r. de script. lib. 6. id quod non solum in profanis verum est, sed etiam in diuinis manifestum est ex cap. Alma mater, de sentent. excommunic. lib. 6. ubi interdictis ipsis permittitur est quibusdam festis, ut licite diuinis interesse possint.

4. *Tertio* certum etiam est, Summum Pontificem suspendere posse censuram quamcumque ad eum modum, ut ipsis sine villo irregularitatis, aut alterius poenae metu, Sacramenta sumere, aut ministrare liceat. Ratio est, quia tamen censura quoad hos effectus iuris possitui est, ex Panorm. in c. si vere, de sent. excom. quam etiam ipsa inter irregularitas, argum. capit. is, qui de sentent. excommunic. lib. 6. omnis enim irregularitas a iure positio est; & consequenter a summo Pontifice, qui iuri communi praest, argum. capit. proposuit, de concess. praeb. tolli, aut suspendi potest omnis huiusmodi effectus; ut probatur argum. eorum quae habentur in procm. Decret. in antiq. & lib. 6. & in capit. final. de Constitut. & latius traditur ab Innocent. in capit. Ad monasterium, de Regular. & Panormitan. in capit. Nonnulli, numer. 1. de sentent. excommunic. & Felin. in ca. 1. nume. 11. de Constitut. & a glos. in Clem. unica, in verbo, pro infectis, de immunit. Eccles. & a glos. in capit. Ad haec quonia, in verbo, interdictum, de appell. ubi ait Papam permittere posse in Ecclesia interdicta speciatim, ut diuina licite celebrentur.

5. *Quarto*, ex communiore sententia, excommunicationis censura suspendi non potest ab alio inferiori iudice, ut notat Decius in ea. Ad haec quonia, numer. 5. de appell. & facit quod tradit glos. in c. presenti, in verbo, declaramus, de sent. excommunic. lib. 6. ubi ait excommunicationem non